

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Beantwortung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

XLVII. | ¹Nuntiata interim etiam ceterorum exercituum defectione, litteras prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subuertit, duos scyphos gratissimi usus, quos Homeros a caelatura carminum Homeri uocabat, solo inlisit ac, sumpto a Lucusta ueneno et in auream pyxidem condito, transiit in hortos Seruilianos, ubi, praemissis libertorum fidissimis Ostiam ad classem praeparandam, tribunos centurionesque praetorii de fugae societate temptauit. ²Sed partim tergiuersantibus, partim aperte detrectantibus, uno uero etiam proclamante :

Vsque adeone mori miserum est ?

uarie agitauit, Parthosne an Galbam supplex peteret, an atratus prodiret in publicum proque rostris quanta maxima posset miseratione ueniam praeteritorum precaretur, ac ni flexisset animos, uel Aegypti praefecturam concedi sibi oraret. ³Inuentus est postea in scrinio eius hac de re sermo formatus ; sed deterritum putant, ne prius quam in forum perueniret discerneretur. | ⁴Sic cogitatione in posterum diem dilata, ad mediam fere noctem excitatus, ut comperit stationem militum recessisse, prosiluit e lecto misitque circum amicos, et quia nihil a quoquam renuntiabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. ⁵Verum clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit, unde iam et custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amota et pyxide ueneni ; ac statim Spiculum myrmillonem uel quemlibet alium percussorem, cuius manu periret, requisit et nemine reperto : « Ergo ego », inquit, « nec amicum habeo nec inimicum ? » procurritque, quasi praecipitaturus se in Tiberim.

XLVIII. ¹Sed reuocato rursus impetu aliquid secretioris latebrae ad colligendum animum desiderauit, et offerente Phaonte liberto suburbanum suum inter Salariam et Nomentanam uiam circa quartum miliarium, ut erat nudo pede atque tunicatus, paenulam

obsoleti coloris superinduit adopertoque capite et ante faciem optento sudario equum incendit, quattuor solis comitantibus, inter quos et Sporus erat. ²Statimque tremore terrae et fulgure aduerso pauefactus audiit e proximis castris clamorem militum et sibi aduersa et Galbae prospera ominantium, etiam ex obuiis uiatoribus quendam dicentem : « Hi Neronem persequuntur », alium sciscitantem : « Ecquid in urbe noui de Nerone ? » ³Equo autem ex odore abiecti in uia cadaueris ⁴consternato, detecta facie agnitus est a quodam missicio praetoriano et salutatus.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Erläutern Sie das *ne* in 47,3! Was für ein Begriff ist im Sinn zu seinem Verständnis zu ergänzen?
2. Der Autor schreibt 47,4 nicht *circummisit amicos*, sondern *misit circum amicos*: Erklären Sie die jeweilige Konstruktion dieser zwei Ausdrücke und geben Sie die daraus folgenden Unterschiede der Bedeutung an!